

- Credulus ille sibi succrescere commoda mellis,
 Ocius exsequitur lugubre consilium.
 Quid loquor, o nimium presumptio stulta, profanus
 Error, opus Satanae, perniciēs animae!
 15 Quanta dei nunc est patientia, quanta futuri
 Iudicis in reprobos seviet ire potens!

- Post breve languet homo, fractusque dolore vocati
 Triste sacerdotis ponit in aure scelus.
 Dixit, obitque reus, sed apum mox vasa reclusa
 20 Sollicito visu presbyter ingreditur.
 Ecce dei nutu, dum singula lustrat, in uno
 Spectat condensas mellis opes et apes.
 Mira subest structura, favis hinc inde locatis,
 Instar templioli: que manus artificis
 25 Conderet huic simile? decoratur namque columpnis,
 Arce, fenestellis, turribus, ostiolis.
 Ara decens, mel quippe recens erat, intro locatur,
 Angelici panis nobile munus habens.
 Perstrepat agmen apum, quasi spallat et intonet ymnum,
 30 Ut liqueat cunctis, cuncta sonare deum.
 Hic natura stupet, ratio silet omnis, in orbe
 Sustinet eclipsin iūs, opus, ingenium.
 Fama rei tantae clarumque decus novitatis
 Evolat et populos e statione vocat,
 35 Ut videant factum, stupeant super ordine facti,
 Forma, fine, modo, materia, genere,
 Qualiter e minimis opifex deus ardua rebus,
 Sensibus humanis invia protulerit.
 Laudibus ergo piis turba comitante sacerdos
 40 In medio ecclesie collocat ecclesiam.

II.

- Questio discutitur veteres apud, unde ruine,
 Unde tremor terris, cur gravis extiterit
 Antiquis manus excelsi, nunc vero quiescat,
 Signaque iam nostris rara diebus agat.
 5 Respondetur ad hec: Non est deus alter ab illo,
 Qui fuit ante soli tempora; rebus enim
 Mutatis in se manet immutabilis ipse,
 Nec penitus solito migrat ab esse suo.

V. 17 languit Hds. 24 quem Hds. 29 'spallat' für 'psallat', wie häufig. 35 videat, stupeat Hds. 38 'omnia' und übergeschrieben 'vel invia' Hds. Letzteres wird vielleicht unerforschlich bedeuten sollen. II. v. 8 solido Hds.